

† Fr. C. Robertus McGurry (1899-1955)

(*Vice-Prov. de Edmonton*)

Robertus Iacobus McGurry, natus in Kingston Hiberniae, dioecesis Dublinensis, 8 Febr. 1899, Congregationi nomen dedit in Canada, postquam in primo magno bello in navi oneraria servivit et tria numismata honoraria acquisivit. Vota temporanea festo S. Alfonsi anni 1932 emisit, et eodem festo anni 1936 vota perpetua.

In Fr. Roberto Vice-Provincia amittit Coadiutorem sollerterem, generosum, spiritu fidei cordisque simplicitate praestantem, qui omnes confratres aedificabat atque in variis domibus ceu ianitor et sacrista utilissimum se reddidit.

Licet fere subito et improviso ei mors supervenerit, tamen duobus ultimis sacramentis, providente ita Deo, non est orbatus. Feria II 28 Novembris erat ei

destinatus vitae postremus dies. Mane prope domum nives, quae nocte ceciderant, semovit, nil curans quod ultimis diebus minus belle se habuerat; sed vertigine correptus in domum rediit ac medici visitationem efflagitavit. Hic eum examinavit, et quamvis nil admodum grave reperisset, tamen suasit curam nosocomii. Robertus autem domum non reliquit quin antea suam confessionem peregisset. Pater, qui eum ad hospitale comitabatur et amice cum eo conversabatur, notato suspiciose eius faciei colore, secreto Sorori dixit: « Roga, quaeso, cappellatum ut cum Oleo infirmorum ad Fratrem veniat ». Tum confratrem ad extremam unctionem praeparavit. Repente fit in aegroto mutatio, et eius spiritus intercludi videtur. Dum igitur Pater et aegrorum ministra eum sublevant, quo melius respirare queat, intrat cappellanus et sine mora aegrotum, seu potius moribundum, Olio Sancto inungit, qui brevi post efflat animam. Causa tam subitaneae mortis erat iudicio medici thrombosis coronaria.

G. EHMAN - C. HENZE